

Filius hominis traditur...
Qui vult primus esse, erit omnium minister.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Marcum 9, 30-37

In illo témpore:

³⁰ **P**rofécti Iesus et discípoli eius peragrábant Galiláeam;
nec volébat quemquam scire.

³¹ Docébat enim discípulos suos
et dicébat illis:

«Fílius hóminis tráditur in manus hóminum,
et occídent eum,
et occísus post tres dies resúrget».

³² At illi ignorábant verbum
et timébant eum interrogáre.

³³ Et venérunt Caphárnaum.

Qui cum domi esset, interrogábat eos:
«Quid in via tractabátis?».

³⁴ At illi tacébant.

Síquidem inter se in via disputáverant,
quis esset maior.

³⁵ Et résidens vocávit Duódecim et ait illis:

«Si quis vult primus esse,
erit ómniū novíssimus et ómniū miníster».

³⁶ Et accípiens púerum,
státuit eum in médio eórum;

quem ut compléxus esset, ait illis:

³⁷ «Quisquis unum ex huiúsmodi púeris recéperit
in nómine meo, me récipit:

et, quicúmque me suscepérit,
non me súscipit, sed eum qui me misit».

Verbum Dómini.